

Cant.
6.

G
aude Virgo, quæ de cæ-lis Juxta vo-cem Gabri- é-
lis Conce-písti fí-li- um. R. Alle-lú- ia, alle-lú- ia, al-
lú- ia.

2. Gaude, Mater Jesu Christi,
Quia Virgo peperísti
Creatórem ómnium.

R. Allelúia.

3. Gaude, per quem cornu David
Stella Jacob revelávit
In accéssu géntium.

R. Allelúia.

4. Gaude, quia resurréxit
Et revíxit, et revéxit
Cursor tuus brávium.

R. Allelúia.

5. Gaude, per quam supra chorum
Sublimátur Angelórum
Natúra mortálium.

R. Allelúia.

6. Gaude, quia te replévit,
Et supra te requiévit
Illustrátor córdium.

R. Allelúia.

7. Gaude super omnes sola,
Cujus in utráque stola
Complétum est gáudium.

R. Allelúia.

8. Tibi, Mater, supplicámus,
Fac ut tecum gaudéamus
In terra vivéntium.

R. Allelúia.